

donauerit, eaque usuras ex donata pecunia perceperit: lucrabitur. Haec ita IULIANVS in marito Lib. XVIII. Digestorum scribit. Sed intercedis forte, de usuris hic sermonem esse, qui fructus ciuiles quidem sint, sed nec naturales, nec industriales dici possint. Ego vero responderem quidem, omnino usuras magis similes esse fructibus naturalibus, quam industrialibus, quum absque cura & industria nostra proueniant. Sed non opus est mea responsione, cui te sentio multa obiicere posse. Quid vero VLPIANO obiicies, qui statim ita pergit: *b) De fructibus quoque videamus, si ex fructibus praediorum, quae donata sunt, locupletata sit, an in causam donationis cadant? et Iulianus significat, fructus quoque, ut usuras, licitam habere donationem.* De ipsis ergo fructibus idem asseritur, & ne vllum tibi refugium maneat, attendas velim, de fructibus industrialibus diserte id asseri. De fructibus praediorum enim loquitur Ictus, ideoque intelligit omnino segetem ex frumento fato natam, quippe quae potissimum inter fructus praedii referri debet, eam autem ad fructus industriales pertinere, nemo negabit.

## CAPVT

*b) in L. 17. pr. D. eod.* Est autem hic locus perinde, ut praecedens, ex VLPIANI Libro XXXII. ad Sabinum, & procul dubio immediate priori subiunctus, fuit.

Legem enim 16, ideo interiecit, more suo, TRIBONIANVS, quia in eadem TRYPHONINVS itidem de usuris agit, quas vxor ex pecunia sibi a marito donata percepit.